

22. An prædictis Dignitatibus et Canonicis invitatis ab Episcopo competat jus accedendi ad Ecclesiam S. Pauli, et assistendi, quacumque alia occasione, et die, qua plauerit Episcopo, peragere ibi Pontificalia, vel assistere in casu etc.? S. C. *Affirmative et ad mentem*. Et mens est: « Non expedire Dignitates, et Canonicos Cathedralis ab Episcopo invitari, præter solemnem diem memoriam Naufragii S. Pauli dicatam, ut aliis occasionibus, et diebus in Ecclesiam Collegiatam Civitatis Vallettæ convenient, ubique collegialiter sacris functionibus adstent, seu ipsi Episcopo pontificaliter celebranti, vel simpliciter assistenti ministrent, aut respective assistentiam præstent. » Ibid. num. 22.

23. An iisdem Dignitatibus, et Canonicis assistentibus, ut supra tam in dicta die Festivitatis S. Pauli, quam in quacumque alia die, liceat uti ornatu strati viridis damasceni in casu etc.? Et quatenus affirmative: An Capitulo Collegiatæ tunc liceat uti ornatu panni linei coloris prædicti? S. C. « Servetur in omnibus resolutio anni 1741. » Ibid. num. 23.

24. Quomodo, et quo ordine incedere debeant Canonici Collegiatæ in associatione Episcopi ab Oratorio Charitatis ad Ecclesiam Collegiatam, et a janua Ecclesiæ ad Chorum? « Servetur ordo præscriptus in Cæremoniali Episcoporum, firma remanente præcedentia, et loco digniore prope Episcopum Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis ad formam resolutionis anni 1741. » Ibid. num. 24.

Mox autem die 15 Junii 1789, repositis iisdem Dubiis prodiit ab eadem Sac. Congregatione responsum.

Ad 1, 2 et 3. « In decisis, et amplius. »

Ad 4. « In decisis, etiam quoad mentem, et amplius. »

Ad 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15 et 16. « In decisis, et amplius. »

Ad 17. « Locum esse arbitrio pro aperitione oris, adversus Breve Clementis XII. in hac parte tantum, et ad effectum de quo agitur, adeoque, prævio recessu a decisis, affirmative, et amplius. »

Ad 18, 19, 20, 21. « In decisis, et amplius. »

Ad 22. « In decisis etiam quoad mentem, et amplius. »

Ad 23. « In decisis, ita ut liceat Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis uti ornatu strati viridis damasceni, et liceat Capitulo Collegiatæ uti panno laneo ejusdem coloris. »

Ad 24. « In decisis, et amplius. »

(32. An attentæ consuetudine per centum annos servata, sed postea interrupta, et reassumpta, ut in casu debeat præcedentia in choro, et processionibus Canonicis Diacono, et Subdiacono Collegiatæ oppidi Brone Ordine Sacerdotali insignitis, et possessione anterioribus supra Canonicos Sacerdotes possessione posteriores, an vero hæc debeat Canonice Sacerdotibus etsi possessione recentioribus? Eadem S. C. sub infrascripta die habita, re mature perpensa, respondit: *Negative* ad primam partem, et *affirmative* ad secundam: Atque ita servari mandavit. Placentina die 27. Maji 1786.

(33. An, et cui competat jus exercendi

functiones sacras in solemnioribus anni festivitibus, absentibus, vel impeditis Episcopo, et Archipresbytero Cathedralis Sedis? in casu etc. Et Sac. eadem Congregatio, utraque parte scripto, et voce informante, expensisque juribus hinc inde deductis, ad relationem E., et R. D. Cardinalis Archinto S. R. C. Præfecti, loco ejusdem E. Ponentis, rescribendum censuit: « Competere Canonico digniori juxta solitum, non autem Archidiacono, vel Præposito, et amplius. » Et ita declaravit, ac servari mandavit. Sefina die 27. Maji 1786.

(34. 1. An liceat Canonicis in Missis privatis tam intra, quam extra Cathedrali uti opera inservientis Missæ tam pro delatione Calicis ad Altare, et illius reportatione ad Sacristiam, quam pro sustinendo Missale, indicando Orationes, aperiendo, et porrigendo Patenam cum Hostia, tergendo Calicem, eumque postea cum velo instruendo? in casu etc.

2. An liceat Canonicis in sacris functionibus celebrandis in Ecclesiis extra Cathedrali, uti pulvinari ad genuflectendum?

4. An Dignitates, et Canonici dictæ Ecclesiæ Cathedralis teneantur Episcopum accedentem ad Ecclesiam Cappa indutum, ut solemniter celebret, vel alia pontificalia munia exerceat, comitari, et ex quo loco?

5. An etiam in reditu debeant eum reducere, et ad quem usque locum? Et quatenus affirmative ad utrumque.

6. An, et qua pœna possint inobedientes puniri ab Episcopo?

Ad 1 et 2. « Negative in omnibus. »

Ad 4 et 5. « Dignitates et Canonicos teneri ducere Episcopum a cubiculo, et comitari ad Ecclesiam Cathedrali, ipsumque reducere ad cubiculum. »

Ad 6. « Affirmative prudenti arbitrio Episcopi. » Et ita declaravit, et servari mandavit. Asculana die 24. Septembris 1788.

(35. R. hodiernus Episcopus Civitatis Gaditanæ enixe Sac. Rit. Congregationi supplicavit, ut infrascriptis Dubiis quid servandum esset decernere dignaretur, nempe.

1. An feria VI. in Parasceve Episcopo non celebraturo, procedendo ad Crucis adorationem, et osculum, Canonici assistentes debeant ipsum comitari usque ad initium tapetis, ibique sistere, donec solus ad Crucis adorationem, osculumque procedat; seu potius tum in genuflexionibus, tum etiam in ipso osculi actu eundem associare teneantur, ibique expectare quousque idem Crucis adorationem, et osculum compleverit? S. C. *Negative* quoad primam partem, *Affirmative* quoad secundam. Gaditana die 24. Septembris 1788.

2. An Episcopus absoluta adoratione, et osculo, debeat ibidem permanere, donec a Canonicis assistentibus par Crucis obsequium exhibitum fuerit; seu potius immediate Canonici assistentes debeant Episcopum ad Cathedrali pontificalem associare, ac subinde idem officium adorationis Crucis, et osculi cum aliis Canonicis in ordine suo complere teneantur? S. C. *Negative* quoad

primam partem; *Affirmative* quoad secundam. Ibid. n. 2.

3. An Canonici assistentes valeant se induere, et exuere sacris paramentis super solio in loco proprii scamni, seu potius interim aliis Canonicis eorum munere fungentibus descendere debeant de solio ad propria stalla canonicalia, ibique sacras vestes assumere, et post completum officium deponere? S. C. *Negative* quoad primam partem, *Affirmative* quoad secundam. Et ita declaravit, et servari mandavit. Ibid. n. 3.

(36. An dignitates, et Canonici insignis Collegiatæ S. Pauli in omnibus indistincte functionibus Ecclesiasticis debeant, ut alii de Clero genuflectere Episcopo, etsi non pontificalibus vestibus, sed cappa dumtaxat, vel mozzetta induto, seu potius caput tantummodo, et humeros eidem profunde inclinare? in casu, etc. Sac. eadem Congregatio utraque parte informante, et eodem Episcopo, Rmo Domino Cardinali Antonio ab Auria referente, respondit. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam. Melevitana die 24. Septembris 1788.

(37. S. C. declaravit: « Non licuisse, neque in posterum licere camerario, et confratribus piæ Societatis sub titulo S. Annæ Matris B. M. V. in eadem Parochiali coadunata quacumque veste indutis, etiam de consensu Parochi assistere Vesperis, Missæ solemnibus intra Presbyterium in festivitate ejusdem S. Annæ, ibique thurificationem, aliosque obsequii actus excipere. » Et ita declaravit, et omnino servari mandavit. Urbis S. Joannis In Ayno. die 28. Julii 1789.

(38. 1. An Canonico Presbytero posteriori in possessione Præbendæ de consortio, competat jus sedendi in Choro supra quemlibet Canonicum non presbyterum antiquiorem, et huic præcedendi in omnibus functionibus Ecclesiasticis in casu etc.? Et quatenus affirmative. S. C. *Affirmative, et amplius*. Spolemana die 18. Februarii 1794.

2. An eidem Canonico Presbytero post assumptum Sacerdotium sit danda præcedentia in casu etc.? S. C. *Affirmative, et amplius*. Ibid. num. 2.

(39. An liceat Canonico Theologo explicare populo Sacram Scripturam in diebus festis intra Missarum Solemniam, et præcise post Evangelium in casu etc.

Sac. eadem Congregatio, audito prius Rmo Episcopo Ripano, perpensisque juribus Archipresbyteri, Canonico Theologo vadimonium deserente, respondit: *Negative*. Hodie vero iterum ab eodem Dubio, audito pariter uno Archipresbytero, respondit: « *In decisis, et amplius*. » Ripana die 30. Aprilis 1796.

(40. 1. An Episcopus censuris, et pœnis, vel distributionum omissione valeat Canonicis Ecclesiæ Cathedralis præscribere, ut Catechismo intersint, quem ad populum habet, eidemque in Ambone concionanti assistere, ubi solent alii Verbi Dei Præcones, si id faciat talari habitu indutus, vel cum Rochetto, et Mozzetta tantum, vel cum Mozzetta et Stola?

2. An idem Episcopus possit præscribere, ut Vesperis in Choro peractis, recitatio Completorii suspendatur, usque dum Sacra Pyxis in majoris Altaris Tabernaculo collocetur, Catechismus, vel Concio ad Populum absolvatur, quædam Orationes recitentur in conspectu SSmi Sacramenti, et fiat cum eo benedictio, quod est contra Ecclesiæ Puteolanæ consuetudinem, cum ejusdem Canonici soleant post Vesperas statim Completorium recitare?

Et Sacra R. C. censuit respondendum, « Juxta votum, hoc est, de jure non teneri. » Puteolana. Die 22. Martii 1817.

(41. — 1. Diebus Feriarum, Adventus, et Quadragesimæ, Vigiliarum, et Rogationum Canonici Cathedralis Ecclesiæ non privilegiatæ, si dies sit festivus, celebrare solent Missam de Feria post Tertiam, de Sancto vero occurrente post Nonam; quia, aiunt, se vicem gerere Episcopi. Quæritur an hæc consuetudo sit toleranda, vel potius tanquam abusus tollenda? S. C. *Negative* quoad primam partem, *Affirmative* quoad secundam. Dubiorum die 4. Julii 1817.

2. An Magister cæremoniarum in egressu e Sacristia pro Matutinis, Laudibus et Vesperis solemniter persolvendis præcedere debeat Presbyteris Pluvialibus indutis, et Ministris Sacris in celebratione Missæ, vel cogi possit ire immediate ante Canonicum celebrantem, præsertim si Ministri sint Celebrante gradus inferioris? S. C. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* quoad secundam, et servandus modus præscriptus in Cæremoniali Episcoporum lib. 2. c. 3. n. 1.

3. An Canonici Cathedralis, de qua supra, uti possint Palmatoria in celebratione Missæ, etiam quando celebrant extra Cathedrali? Similiter in aliis functionibus Ecclesiasticis, Vesperis, Benedictionibus, etc. saltem ex prætextu obscuritatis in aliquibus casibus? S. C. *Negative* in omnibus, nisi habeatur Apostolicum Indultum, de quo certioratur Sac. Cong., et detur Decretum generale. Ibid. num. 3.

4. In eadem Cathedrali, quando celebrat Canonice, Diaconus, et Subdiaconus aliquando sunt inferioris ordinis: quæritur an hæc consuetudo retineri possit? et quatenus affirmative: an deceat Canonicum celebrantem esse in paramento pretioso, Diaconum, et Subdiaconum paratos esse inferiori Dalmatica, et Tunicella? S. C. *Affirmative* ad primam partem, et quoad secundam, congruere quod Dalmaticæ et Tunicellæ, si fieri potest, conformes sint Planetæ Celebrantis, quia sacra hæc indumenta non ministrorum ornatui, sed ecclesiasticæ functionis decori inserviunt. Ibid. n. 4.

5. An, celebrante Canonico Cathedralis, Diaconus itidem Canonicus, porrigendo Cochlear, Patenam, Calicem, teneatur osculari manum Celebrantis, vel potius, quia est Canonicus, oscula hujusmodi sint omittenda? S. C. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam, et detur Decretum in una Urbis 22. April. 1690. Ibid. n. 5.

6. An Canonici supradicti Cathedralis te-

neantur Missas celebrare, ut quilibet alius Sacerdos simplex, an potius ipsis liceat cogere Clericos inservientes, ut deferant Calicem ad Altare, vel ab eo reportent, eum detegant, et cooperiant in Missa, aperiant Missale etc.? S. C. *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam, et dentur Decreta in Senen. 20. Julii 1686. in Aquilana 22. Januarii 1735. ac in Asculana 24. Septembris 1788. *Ibid.* num. 6.

7. An Concionator, absente Episcopo, post reverentiam generalem factam Capitulo, deinde Populo, teneatur, vix incepta Concione, iterum veniam exhibere, seu postulare a Canonicis, quia, ut aiunt, unum sunt cum Episcopo? S. C. *Negative*, et detur Decretum in Asculana 24. Septembris 1788. *Ibid.* n. 7.

8. An omnes Capitulares teneantur obedire Cæremoniæ Magistro ab Episcopo electo in his quæ Divinum Cultum respiciunt, vel potius considerari debeat tanquam Capitularium Famulus? S. C. « Capitulares omnes teneri obedire cæremoniæ Magistro in iis, quæ Divinum Cultum respiciunt, eundemque in sui muneris exercitio esse capitularium Directorem, non Famulum. » *Ibid.* n. 8.

9. In præfata Cathedrali tempore Divini Officii exponitur Lignum Sanctæ Crucis, tam in Festo Inventionis, quam in altero Exaltationis. In Festo Inventionis celebrat Canonicus, et cum illo Benedictionem impertit antequam reponatur: in secundo, quia celebrat Beneficiatus sine ulla populi benedictione, transfertur per Sacristam in suum repositorium. Queritur: an hæc distinctio attendenda sit, vel potius populus sit benedicendus etiam in Festo Exaltationis, in quo non celebret Canonicus, sed Beneficiatus? S. C. *Negative* quoad primam partem, *Affirmative* quoad secundam. *Ibid.* n. 9.

10. An Canonici Cathedralis in administratione Sacramentorum tam intra, quam extra Cathedralē Ecclesiam teneantur deponere cappam, atque uti superpelliceo, et stola, juxta Rituale Romanum? S. C. *Affirmative*. *Ibid.* n. 10.

11. An teneantur dicti Canonici Cappam deponere, tam intra, quam extra Cathedralē, dum verbum Dei prædicant, vel dum officium Sacerdotis assistentis in Missa novi Celebrantis, aliasque quascumque non capitulares functiones exercent? S. C. « *Negative* in propria Ecclesia, etiam in Concionibus, aliisque functionibus, excepta Sacramentorum administratione, in qua utendum est superpelliceo, et stola, ut ad primum. *Affirmative* extra propriam Ecclesiam et detur Decretum generale. » *Ibid.* n. 11.

12. An uti possint Clerici, et Cæremoniario, veste violacea indutis, eosque cogere ad sibi sic indutos serviendum in administratione Sacramentorum, atque in aliis quibuscumque functionibus Ecclesiasticis non capitularibus, tam intra, quam extra Cathedralē? S. C. *Negative*. *Ibid.* n. 12.

(42. « Dignitatibus omnibus, et Canonicis ubiq. locorum, qui construendis in posterum

Apostolica vel Ordinaria auctoritate Tabulis in Servorum Dei, ac Beatorum causis operam dabunt, licet e Choro absentibus ea de causa, nedum quotidianas distributiones deberi juxta taxam San. Mem. Benedicti XIV. verum etiam alias omnes quocumque jure, titulo, et nomine, et quibusvis sub clausulis personale servitium exquirentes: indultum autem, atque exemptionem hujusmodi iis dumtaxat diebus locum habere voluit, in quibus conficiendis, et adornandis Inquisitionibus incumbent. » Atque ita decrevit, statuit, atque in posterum servari mandavit, Contrariis non obstantibus quibuscumque. Neapolitana die 23. Decembris 1817.

(43. 1. Quid permissum, quid vetitum sit Dignitatibus, et Canonicis, qui ex Apostolica concessione, tam in Civitate quam in Diœcesi, absente etiam pro tempore existente Archiepiscopo in Missis, Vesperis, Laudibus, et Horis Canonicis solemniter decantandis, ac etiam in processionibus, sive supplicationibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum, et Fontis baptismalis, ac reliquis Ecclesiasticis functionibus, pontificalibus Insigniis, aliisque indumentis, et paramentis, in omnibus, et per omnia ad instar aliorum Capitulum et Canonicorum, qui eodem fruuntur speciali Apostolico Indulto, uti licite, et libere valeant? S. C. « Jam alias fuisse decisum quid permissum, quid vetitum sit Dignitatibus, et Canonicis, qui Apostolico gaudent privilegio, prout in Dubio expressum est; et dentur Decreta in Panormitana 22. Aprilis 1684. et Urbinaten. 29. Januarii 1752. Baren. die 20. Aprilis 1822. »

2. An pileolo uti possint Canonici assistentes Episcopo in functionibus Ecclesiasticis, tam in Altari, quam in Cathedrali Episcopali? S. C. « *Negative* ad primam partem, et quoad secundam affirmative, dummodo non ministrent. » *ibid.* n. 2.

3. An liceat Canonicis usus pulvinaris sub genibus, etiam præsentē Episcopo, in functionibus ecclesiasticis? S. C. *Negative*.

4. An Canonici, qui ex speciali privilegio uti possunt Mitra aurophygiata, uti etiam possint Mitra argentea tela contexta, et listata ex auro? S. C. *Negative*, et in omnibus ad mentem. *ibid.* n. 4.

(44. Nonnullis dubiis delatis super usu Pontificalium in metropolit. Ecclesia Baren. placuit Pio Papæ VII. rem universam S. C. R. discutendam demandare; quæ Decretum quo Pontificalium privilegia declarentur, certisque legibus ad Ritualium præscriptionum normam coerceantur, censuit edendum. Ejus vero Decreti Articuli sunt qui sequuntur.

1. Sacra peragere Ritu Pontificali de jure inhæret dumtaxat Episcopali Dignitati.

2. Prælati Episcopo inferiores pontificaliter celebrant ex privilegio, sed ornatu moderatiori, statutis tantum diebus, in propriis Ecclesiis ab Episcopali jurisdictione exemptis, et tenentur in reliquis omnibus adamas-

sim servare generalia Decreta Alexandri VII. a Benedicto XIV. confirmata.

3. In Ecclesiis non exemptis vetantur iidem Pontificalia exercere, etiamsi intercedat expressa Ordinarii loci licentia.

4. Dignitates, Canonici, Rectores Ecclesiarum, quocumque nomine insignium, prohibentur ritus, et cæremonias pro Episcopis, et Prælati inferioribus designatas in sacris peragendis adhibere, aut ornatum aliquem pontificalem induere absque speciali Apostolica Sedis privilegio.

5. Quocumque privilegium ad augendum Insignium quarundam Ecclesiarum splendorem ab Apostolica Sede Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis concessum, ut pote læsivum dignitati Episcopali, de jure strictissime est interpretandum. Quamobrem nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud, quod est speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio, trahi potest consequentia ad alia, quæ singillatim descripta non fuerint.

6. Nec tamen, posito privilegio, omnia omnibus æque competunt, sed discrimine est opus inter Celebrantem, et Assistentes cum Insigniis pontificalibus.

7. Nam Celebranti quædam competere possunt Pontificalia Insignia; non item Assistentibus, dum Dignitates, Canonici, Rectores etc. sacra sumere debent Indumenta.

8. Sub generico ornamentorum pontificalium nomine, quæ ex privilegio Apostolica Sedes insignioribus Capitulis quandoque concedit, intelliguntur dumtaxat ex pluries decisis a Sacra Congregatione caligæ, sandalia, nec auro, nec argento ornata, sericæ item chirothecæ, Dalmatica, Tunicella, Annulus cum unica gemma, Crux pectoralis sine gemma, Mitra simplex ex tela alba cum sericis laciniis rubei coloris.

9. Hisce omnibus uti poterit solummodo Dignitas, Canonicus, aut Rector solemniter celebrans, nisi forte privilegium non omnia hæc, sed aliqua dumtaxat Insignia permittat.

10. Qui vero in Missa solemniter Diaconum, et Subdiaconum agunt, etiamsi sint Dignitates, Canonici etc. nec Mitram, nec ullum aliud Pontificale indumentum, nec Palmatoriam, si illius privilegio polleant, ad Evangelium, et ad Epistolam adhibere poterunt.

11. Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus etc. Missam cum Insigniis Pontificalibus solemniter celebrare liceat, iis dumtaxat diebus, in quibus celebrant vice Episcopi absentis, vel impediti, vel vita functi, aut in quibus Episcopus assistit, vel assistere deberet cum Pluviali, et Mitra, in reliquis diebus, etiamsi solemnibus, celebrent more solito.

12. In Ecclesiis Civitatis, et Diœcesis cum Insigniis Pontificalibus celebrare ipsis non liceat, nisi in majoribus Solemnitatibus, assentiente Episcopo, et assistente Capitulo.

13. Numquam vero iisdem utantur in Missis pro defunctis, licet Episcopus assi-

stat cum Pluviali, et Mitra, sed celebrent more solito.

14. Si dignitas, vel Canonicus, etc. ab Episcopo designetur pro admittenda aliqua puella ad religiosum habitum, vel Novitia, expleto tyrocinio, ad solemnem professionem, Pontificalibus Insigniis uti nequeat, nisi de expressa licentia, qua obtenta, iis tantummodo utatur, quæ actioni conveniunt.

15. Cum pontificalibus Indumentis Celebrans, nec Faldistorio uti potest, sed sedere debet in scamno cooperto tapete, vel panno coloris, qui Officio diei respondeat.

16. Nequit præterea tam in solemnibus, quam in Missa privata sacras Vestes sumere ex Altari, uti Canone, Palmatoria, Presbytero assistente, salutare populum cum. *ŷ. Pax Vobis*, loco *ŷ. Dominus Vobiscum*, aut trinam dare Benedictionem post Missam, vel cum Sacramento; et si quæ sunt alia, quæ solis competunt de jure Episcopis, et ex privilegio Prælati inferioribus, dum his Pontificalia peragere, statis diebus, concessum est.

17. Dignitates, Canonici, Rectores etc., quando parati assistunt Episcopo pontificaliter celebranti, Mitram solummodo adhibere possunt, quam pariter deferre poterunt sacris Indumentis, videlicet Pluviali, vel Casula, vel Dalmatica amicti, in Processionibus SS^mi Corporis Christi, Benedictionibus Candelarum, cinerum, Palmarum, etiamsi has functiones peragat Dignitas, vel Canonicus loco et vice Episcopi absentis, impediti, aut vita functi.

18. Assistentes Episcopo, tam in Altari quam in Cathedra, quando ministrant, aut cum eo operantur, stare debent, detectis capitibus.

19. Solemniter celebrantes dum Episcopus sacra assumit Indumenta, aut solium ascendit, stent sine Mitra.

20. Non licet eis uti pulvino sub genibus, Episcopo præsertim assistente.

21. Non adhibeatur Acolythus ad tenendam Mitram cum holoserico velo e collo pendente, nisi pro Dignitate, Canonico, Rectore etc., solemniter celebrante, vel Sacramentum in Processionibus deferente.

22. Dignitates, Canonici, Rectores in processione SS^mi Corporis Christi sacris Indumentis amicti Mitram manu deferant, nec eadem caput operiant.

23. Præterea reliqua omnia, quæ non sunt in privilegio expressa, ut vetita censeri debent.

24. In Missis privatis, quoad Indumenta, Cæremonias, Ministros, Altaris ornatum, a simplicibus Sacerdotibus non differant: sumant proinde sacras Vestes in Secretario, non utantur Cruce pectorali, unico Ministro contenti sint, non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo, et duo tantum candelæ luceant in Altari.

25. Defuncti nequeunt in loculo efferri, nec tumulari cum Mitra.

26. In eorundem funeribus, seu anniversariis super tumulo erigi solito, non apponatur Mitra.

27. In insigniis, seu Stematibus Familiæ Mitra non apponatur, nisi solo in casu, quo expresse concessum sit in Literis Apostolicis.

28. Quod si super præmissis aliquod exoriat dubium, hoc ad S. Congregationem deferatur, quæ pro qualitate dubii providebit.

Si quæ vero Capitula amplioribus, ac præter hujusce Decreti instituta privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria hæc jura in S. Congregationem perpendenda deducant ut, quod e canonicarum Sanctionum præscripto visum fuerit, opportune decernatur.

De quibus omnibus facta per me infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione SS. Dño nostro, eadem Sanctitas Sua cuncta in hoc Decreto sancita benigne approbavit, atque in actis S. R. C. referri, necnon Literas Apostolicas sub plumbo de eodem dandas mandavit. Hæc die 27. Augusti 1822.

(45. Proposito Dubio, An consuetudo, qua Canonici Ravennatenses, in associatione Archiepiscopi ab ejus aula ad Ecclesiam incedunt post ejus Crucem immediate ante ipsum possit in casu retineri? S. C. *Negative*, ac servatur omnino Cæremoniale Episcoporum. Ravennaten. die 12. April. 1822.

(46. An ad Canonicos Clericos Collegiæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Sermonetæ possessione antiquiores, seu potius ad Canonicos Presbyteros antianitate posteriores, tam in stallo, quam in omnibus aliis functionibus tam intra, quam extra Ecclesiam, spectet præcedentia?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisita prius sententia alterius ex Apostolicarum cæremoniarum Magistris scripto exarata typisque vulgata, ad relationem E. m. i. et R. m. i. Domini Cardinalis Bardaxi, juxta alias in similibus resoluta, censuit respondendum; *Juxta Votum*, nimirum — *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam. Leo XII. S. C. responsum approbavit die 8. Martii 1823.

(47. Cum Archiepiscopus Ravenn. inhibere ratus fuisset Canonicis et dignitatibus suæ metropol. Ecclesiæ usum Pontificalium, donec peculiaria sua jura juxta Decreti S. R. C. 27. Aug. 1822., editi placitum, in Sacram eandem Congregationem perpendenda deducerent; S. C. expensis rationum momentis, unanimi voto statuendum decrevit.

Quoad Palmatoriam, affirmative, juxta privilegium, et laudabilem consuetudinem, nempe, ea uti possint dignitates, et Canonici metropolitane Ravennatium in Civitate, universaque Diœcesi in omnibus Ecclesiasticis functionibus; dummodo aliquis non assistat e S. R. E. Cardinalibus, vel Archiepiscopis.

Quoad mitram serico-damascenam, affirmative, dummodo dissimilis sit in textura ab illa Reverendissimorum Cardinalium; et quoad Processionem SS. Corporis Christi serventur strictim decreta in Anicien. 13. Jun. 1682. et in Urbinaten. 29. Jan. 1752. in reliquis servetur decretum Archiepiscopi Farsetti, die 24. Decembris 1727., ac 2. Jan.

1728., atque expediantur Literæ Apostolicæ in forma Brevis, si Sanctissimo Domino nostro placuerit.

Leo XII. hoc S. C. R. Decretum approbavit et confirmavit, et de eo Apost. Literas in forma Brevis super re expediri mandavit. Ravenn. die 4. Octobris 1826.

(48. Kalendis Novembris 1824., datis Leone XII. Apost. Literis in forma Brevis — super universam — quoad novam Paræciarum Urbis Ordinationem, id lege cautum erat ut Parochis seu Vicariis perpetuis Basilicarum minorum interea jus tribueretur sedendi inter Canonicos Ordinis Presbyteralis cum cæteris juribus, privilegiis, prærogativis et emolumentis, quibus cæteri ex illo ordine fruuntur, ac postmodum consequerentur Canonicealem Præbendam ex communi massa primo vacaturam. Hic juris ordo cæteris in Ecclesiis pacifice servatus, ubi prima vacatio contigit, controversiam attulit Capitulo Canonicorum Collegiæ Basilicæ S. Mariæ Transtiberim. E vivis siquidem erepto Sacerdote Basilio Tragnoli illius Ecclesiæ Canonico, locus datus est optioni ad Ordinem Presbyteralem primo Canonico Diacono, antequam Hannibal Righi Canon. Parochus seu Vicarius perpetuus Præbenda Canonicali potiretur, qui ex hac optione injuriam se pati arbitratus supplicem libellum S. R. Congregationi dedit ut optionis jus sibi vindicaret. Hæc dubia proposita sunt.

1. An sit locus optioni ad Canonicatum Presbyteralem vacantem Canonico Massa, seu potius private spectet ad Canonicum Curatum Righi vigore Literarum Apostol. S. C. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. Die 14. Novembris 1827.

2. An in futuris vacationibus sit locus adscensui ejusdem Canonici Curati, seu potius Diaconi, et Subdiaconi antiquioris possessionis? S. C. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam. Romana. 22. Septemb. 1827. Papa vero Leo XII. approbavit et confirmavit hoc Decretum, et declaravit — menti suæ esse conforme. — Ibid. n. 2.

(49. Cum perantiquæ consuetudines assertæ in Metrop. Ecclesia Pisana, et nonnulla privilegia ad coonestandam dignitatem Archiepiscopi ejusdem Ecclesiæ, adversarentur generalibus Rubricis et dispositioni Cæremonialis Episcoporum, Canonicis Metrop. S. C. respondit: « Dilata et exquiratur votum Magistrorum Cæremoniarum. » Casalen. die 15. Julii 1752.

(50. Cum in Cathedr. Bituntina mos esset quod Celebrans præintonans Officium in Choro Stalam sibi imponeret illamque durante Officio retineret, Vicarius Capitul. illius Cathedr. postulavit ne illa consuetudo abrumperetur.

S. C. rescripsit: « *Negative*, et servetur Decretum in Alexan. die 7. Septemb. 1658., et in una Dalmatarum die 7. Augusti 1663. » Ita servari mandavit. Bituntin. die 16. Martii 1833.

(51. R. m. s. Præsul Franc. Maria Zoppi, qui, annuente Sanctissimo, Massanensem Epi-

scopatum dimiserat, in eo erat ut potiretur Canonicatu superioris Ordinis in Metrop. Mediolanen. Ecclesia, et ne in hoc novo munere aliquid detraheret Episcopali dignitati, ac vanitatis notam devitaret S. C. R. inter alia hoc dubium proposuit.

1. Quænam Sedes, vulgo Stallo, sibi competat in Choro, in quocumque Capituli congressu, et quando sibi cum eodem Capitulo publice procedendum est?

2. Quemnam habitum gerere in Choro, quemnam in publicis Supplicationibus, aliisque sacris Functionibus, quemnam extra Chorum, cum privatam personam agit?

S. C. rescripsit: Ad 1 et 2. « Ratione Episcopatus posse ac debere uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in Rom. Curia, id est Rochetto supra Subtanam, et Mantellecto violacei coloris, et debere precedere omnibus aliis Canonicis, et sedere in primo Stallo supra omnes, ut in Compostellana die 15. Julii 1617. » Et servari mandavit. Mediolanen. die 16. Martii 1833.

(52. Proposito Dubio: Utrum Canonici sacris induti Vestibus adhibere possint ad Chorum paratum vulgo *di damasco seta o velluto* dum solemniter Sacra peragit Episcopus in sua Diœcesi, vel Cardinalis Titularis in propria Ecclesia.

S. C. rescripsit: « In Choro stabili non licere. » Romana. die 6. Sept. 1834.

(53. Archiepisc. Compostellanus proposuit dubium An Canonici Cathedralis teneantur assistentiam præstare Episcopo extra Cathedralium ipsam sacras Ordinationes facienti?

S. C. rescribendum censuit: « Serventur Decreta in una Veliternen. die 6. Septemb. 1698, in Grossetana die 16. Septemb. 1645, ac Civitatis Ducalis die 7. Decemb. 1698, nec non Cæremoniale Episcoporum. Compostellan. die 23. Maii 1833. »

(54. S. C. interrogata an Canonici Cathedralis Ecclesiæ Compostellanæ associare debeant Archiepiscopum ab Aula ad Ecclesiam, uti præscribitur in Cæremoniali Episcopodum Pontificalia peragere debet, respondit: « Servetur dispositio Cæremonialis lib. 1, cap. 20, et detur Decretum in Turrinana Compostellan. die 26. Aprilis 1704. »

(55. 3. An Canonici, aliique Capitulares vel conjunctim, vel seorsim ad Chorum euntes, vel redeuntes teneantur exhibere actum reverentialem Magistratui stanti in proprio scamno? Et in casu affirmativo, quomodo? S. C.: « *Affirmative* capite detecto, ut in una Camerinen. die 26. Januarii 1664, Prænestin. die 27. Augusti 1836. »

4. In eodem casu affirmativo, an id ipsum præstandum quoque sit a Celebrante, et Ministris Paramentis indutis? S. C.: « *Affirmative*, sed capite tecto. » Ibid. n. 4.

5. An in solemnibus Supplicationibus Sanctissimi Corporis Christi Gubernator, et Magistratus cum intortitiis accessis incedere possint immediate post Sanctissimum Sacramentum ad instar majorum Magistratum? S. C.: « *Negative* ad tramites Cæremonialis lib. 2, cap. 33, 95. » Ibid. n. 5.

6. An Feria quinta in Cœna Domini ad

accipiendam Sacram Synaxim accedere possint ad gradus Altaris? Et in casu negativo, an saltem ipsis dispensari debeat Sanctissimum Sacramentum intra septa Presbyterii, scamno ad hoc parato? S. C.: « *Affirmative* ad primam partem. » Ibidem num. 6.

7. An Gubernator Civitatis thurificari debeat triplici ductu quum Dignitates, Canonici et reliqui de Magistratu duplici tantum ductu coonestentur? S. C.: « *Negative*, sed duplici ductu tantum. » Atque ita rescripsit, servarique in omnibus mandavit. Ibid. n. 7.

Hujusmodi Dubiis ab me infrascripto Secretario propositis in Ordinariis Comitibus ad Quirinale habitis sexto Idus Augusti superioris Anni 1835, antequam Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus præpositi quidquam rescriberent, sententiam alterius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris requirendam esse satius duxerunt, ac proinde rescribendum censuerunt: — *Exquiratur super omnibus Votum Magistris Cæremoniarum.* — Ad tramites quocirca enunciati Rescripti, habito hujusmodi Voto, ac iterum proposita Causa in novo Ordinario cœtu ad Quirinate subsignata die coadunato, re mature, diligenterque perpensa, in omnibus juxta Votum ipsius Magistris Cæremoniarum propositis Dubiis.

(56. Ad preces Reverendissimi Archiepiscopi Florentini expetentis Indultum, ejus vigore alter ex Canonicis suæ Metropolitanæ incumbens constitutioni Processus Ordinarii Servæ Dei Reginaldæ Toretii participare valeat de distributionibus Choralibus, quamvis hac de causa Choro non intersit, Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Cœtu ad Quirinale subsignata die coadunata rescripsit: « Non indigere, et detur Decretum in Neapolitana die 23. Decembris 1827, quo declaratur Dignitates, et Canonicos ubique locorum existentes qui constituendis Processibus Ordinariis, vel Apostolicis in Causis Servorum Dei operam dabunt, licet a Choro ea de causa absint, lucrari ne dum quotidianas distributiones; verum etiam alias omnes quocumque jure, titulo, et nomine et quibusvis sub clausulis personale servitium exquirentes. Hoc autem Indultum locum habere iis tantum diebus, quibus conficiendis, et adornandis Inquisitionibus incumbant. » Florentin. die 27. Augusti 1836.

(57. Canonicus Dignitas in minoribus constitutus non potest in fine Officii in Choro intonare Antiphonam Titularis, et dicere Orationem. Meliten. S. R. C. 22. Feb. 1839.

(58. Utrum Canonici Mitræ, et Crucis pectoralis privilegium habentes, uti possint etiam Faldistorio, Chirothecis, Dalmaticis, Sandaliis, Palmatoria, Grembiali, Baculo sine velo pendente dum solemniter celebrant. S. C. R. respondit stricte standam Privilegio. Baren. 3. Aug. 1839.

(59. Archiepiscopus Senensis exposuit: Che i Canonici di quella sua Metropolitana con Apostolico Breve dei 5. Luglio ora decorso ottennero la facoltà di far uso della Bugia anche nelle messe cantate, e sacre Funzioni, giacchè per le messe lette di già l'avevano